INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM JAGELLONICA

A DIE 1. OCTOBRIS ANNO MDCCCXVIII.

AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXIX,

INSTITUENDARUM.

CRACOVIAE

TYPIS ACADEMICIS.

Civibus Litterarum Studiosis

S P.

Universitatis Studiorum Jagellonicae Cracoviensis Rector

Valentinus Litwiński

Cum Senatu Academico.

De tribus juris Magdeburgensis in Bibliotheca Universitatis Literrariae Cracoviensis adservatis Codicibus manuscriptis pauca disserere, certe res scitu digna operae pretium factura esse videbitur iis, qui non dubitent, quin jurium antiquorum scientia non sit negligenda. Primus autem et praestantissimus Juris in Polonia celeberrimi Codex anni, ut prae se fert, 1308, est membranaceus dono Amplissimi Senatus, qui feliciter Reipublicae Cracoviensi praeest, benignissime dato in Bibliothecam Universitatis cum Bibliotheca Lopaciana a. 1817 illatus. Constat vero egregius ille Codex Latine et Germanice binis columnis scriptus chartis 309 in folio minori. Primum quidem folium desideratur et incipit index juris municipalis Latino sermone folio nunc 1mo eoque recto alternis rubro et nigro coloribus ab articulo XI^{mo}.

XI. *Uxor ante viri obitum. — Quo modo quis proprium suum possit conferre in hereditatem.*

Quae quidem indicis verba congruunt paginae 34. Cod. nostri.

Folio V^{to} verso sive pag 10:

Hic capitulantur jura feodalia et primo ponit magister prologum.

Folio VI. eoque verso s. pag. 12. explicit index] juris feodalis his verbis: *haec sunt recompensationes animalium*, quae verba sunt bis repetita, excepta vocula τῷ animalium, quae in altera repetitione sola litera *a* indicata est. Sunt autem juris municipalis articuli LXXI, feodalis XXXVIII.

Folio VIII. recto. *Incipiunt jura civilia Maydeburgensis civitatis que Magister Conradus scripsit Cracovie.*

Tum sequitur praefatio: *Deus judex justus, qui cum acceperit tempus, justitias judicabit, sensus meos renovet senescentes, quatinus ad mandatum dilecti domini mei thome*

me

me Wratislaviensis episcopi (*) *jus theutunicum competenter transferam in latinum, quo clarius elucescens justos in jure suo protegat et injustos debita pena puniens, quod suum est, unicuique tribuat. Inprimiis igitur, lectori prudencie supplico cum affectu, quicum in opere summa sit necessitas planis verbis et non obscuris causas et sententias, latinitatis simplicitatem mee non imputet ruditati. Si enim sententiis scabinorum colores rhetoricos inserere niterer, ad rhetorem contingeret, ex hoc dictas sententias permutari et causarum finem debitum non sortiri. Supplicat etiam hujus juris confector eyco vir nobilis de repecu, quatenus si quid minus perfecte in causis aut sententiis in libro presenti reperiri contingat, prudencia judicum et scabinorum legaliter suppleat et excuset. Non eniw hoc jus saxonum invenisse vel statuisse se vindicat usurpando, commemorans illud ab imperatoribus constantino et karulo editum et statutum. Cum etiam mee sit intentionis sententiam unamquamque vel addendo vel diminuendo exponere, non miretur lector, si sententias cause quilibet opportunas in ipsis non inveniat ordinatas, cum non fuerit voluntas autoris ipsas causas annectere, sed potius indistractas locis plurimis annotare, ostendens per hoc solam sententiam, in causis multis fine debito terminandis locum optinere. Et quoniam auctor memoratus soli juri theutunico innixus in ordine scribendi, distinguendi et sententias proferendi juris canonici et civilis modum penitus pretermisit, mihi nemo imputet aut miretur, quod ejus vestigia subsequendo solum jus theutunicum secundum ritum et consuetudinem saxonum presentibus studeam apicibus enodare.*

Praefationem hanc excipit textus fere idem, qui apud Johannem Laskium in Statutis Poloniae Latine editis apud Joannem Hallerum Cracoviae 1506 exstat. (Jo. *Laski Libro II. fol.* 198) inverso tamen in multis titulorum seu articulorum ordine, et mutato in non paucis locis vocabulorum et verborum contextu. Quod facile apparebit tum e brevi articulorum aliquot commemoratione, v. g.

p. 16. Cod. N. *de linea consanguinitatis* — *de geneolia patris et matris* — p. 17. *de duobus germanis fratribus, qui duas sorores ducunt.* — p. 18. *de filiis uxorati filii, quia partem accipiant in hereditate patris.* — Tum e collatione textus Laskiani, v. g.

CODEX NOSTER p. 18. 19.	ŁASKI FOL. CC. RECTO.
De sacerdotum et clericorum divisione cum sorore.	*De sacerdote et clerico duplicem in successione divisionem percipiente, scilicet suppellectilem cum sorore et hereditatem cum fratre.*
In Saxonico sacerdotes et clerici eodem nomine nuncupantur, prout in sequentibus apparebit s. pape (**). *Hic igitur et ille e-*	*Sacerdos tollit equalem portionem cum sorore in suppellectilibus matris, etiam tollit equa-*

(*) Thomas II. Episcopus Wratislaviensis ab anno 1270 vel 1271 ad a. 1292. VII. idus Martii *Somersberg Scriptores* Rer. Siles. I. 62. et alibi.

(**) Sic, sed opinor, *scilicet paragaphis*, nam in altero Codice CC. III. 35. legitur scilicet proprie. Hinc et ex aliis mendis forsitan conjecturam facere licet: opus hoc non autograbum, sed apographum aetate non longe posteriori evulgatum fuisse.

equam porcionem recipiet cum sorore in supellectili matris et equam porcionem cum fratribus in proprio et in hereditate, sed non in feodo. Nullus debet clericus reputari, nisi sit literatus et ordinatus et clericali karactere insignitus, priusquam ad hujus mortuarium fuerit devolutus.

equalem portionem cum fratribus in proprio et in hereditate: sed non in feodo. Nec aliquis potest pro clerico et sacerdote reputari: et computari: nisi doctus sit et consecratus ad gradum sacerdotis et cum forpice signatus ad sacerdocium, antequam supellex per mortem devolvatur super ipsum.

Pagina 155. post dimidiam eamque dissectam pagellam paginae 154 junctam, in qua articulus ultimus; *de eo, qui se ipsum interficit.* (*Jo. Laski Statut* CCXLIV) legitur:

Hic incipiunt jura feodalia latino sermone: — Quoniam in prima parte hujus libelli provinciale jus competenter transtuli in latinum, oportet me in hac parte secundum jus feodale convenienter persequi transferendo, ut juris utriusque provincialis secundum et feodalis cognita veritate judicium (*) *iniquorum astucia reveletur verasque sententias pervertencium scabinorum iniquitas detegatur ac etiam justos et pauperes deprimencium superborum audacia compescatur etc. etc.*

Praefationem autem hi excipiunt articuli: *de hys qui carent in jure feodali* p. 155. — *de duobus unum feodum repetentibus* p. 156. *de obsequio imperii* p. 157. — *Si rex pergat Romam* p. 158. etc.

Tum vero sequitur Textus Germanicus sermone Germanico Cracoviae, ut videtur, tum vulgari et a dialecto autographi Repkoviani longe absono. Pag. 232.

Hy beginnen landrechtis capitil meydeburszis rechtis alsus — Mich hat gescriben eines Meystirs hant — Cunrat von Opulle ist he genant — der Stat und den burgern zu Cracowe — Daz si got in syme riche schowe — In dem jare millesimo — Gotis unde tricesimo VIII° — In Sante Jacobi festo — Wart ich allir vollenbracht — Als die Burger ihn hattin gedacht — Got der da ist begin und ende Maria und die vir und zwenzic alden al Sunder missen enden. Helf uns Gerechtigkeit behaldin. Meyster Eyke von Repechov etc.

Post indicem articulorum LXXXVIII pag. 253. *Hi beginnt meydeburs recht zu dwtschen und sprichit der Meystr eyn Vorrede alsus. Ich zimmer so man sagit etc.* vid. Textus Speculi Saxonici in vulgaribus editionibus Zobelii et aliorum.

Pag. 437 *hi beginnen lenrechtes capitel alsus.* — Pag. 445. post indicem articulorum XLVI. p. 444 absolutum. — *hi beginnt lenrecht.* — Tandem pag. 555 med. columna prima: *hi beginnen Wichbildes recht capitil, do man Meideburc von erste besatzte.*

Post indicem articulorum XXXI. p. 542. absolutum pag. 543. *hi beginnt Wichbilde*

(*) Sic pro judicum.

bilderecht und spricht. Quod jus municipale Germanice scriptum desinit ultimo folio pag. 615.

Caeterum, ut Speculum Saxonicum cum caeteris congruit, ita passim jus municipale et feodale divergere videtur, quod notum est ex aliis codicibus alibi exaratis, nec quisqnam ignorat: jus Magdeburgense municipale s. Weichbildicum ubique a plebiscitis pependisse ideoque commutatum non raro diverso textu incertum fuisse nec esse Codices verbotenus congruos, nisi si quando alter ex altero transsumtus fuerit.

Alter Codex Juris Magdeburgensis CC. III. 32. est Codex mixtus e membranis et charta lintea compositus in Folio chartis 175. Germanice binis columnis scriptus, seculo forsitan XV, Folio I. recto s. p. 1, *Incipit capitulum primum libri de distinctionibus legum cum suis distinctionibus.*

Von der Syppe wo sich dy begynnyt adir Ende nimpt. Von ehelicher gebort.

Index distinctionum desinit in libro VII. *von getrewer hant, wy man dy haldin zal* etc. Ad explendum autem indicem hunc relicta sunt quatuor folia vacua. Tum p. 21. *Dys buch ist eyn buch der recht yn weichbilde zu zachzischer art, alsz ys Medburg gebrucht und dy von Halle dy ihr volbort do nemen* etc.

Pag. 2. *Got hat czwe swert uf ertriche gelosin czu beschirmen di Cristenheil* etc.

Pag. 3. colore rubro articuli titulus: *wy no not ist, daz man dy zippe irkenne, wo ze begyne vnd ende habe vnd was wirdekeit vnd vnwirdekeit dorynne bekumpt, Der mit der zippe ynne stet mit dem rechte vnd von genodin Bobstlicher wirdekeit, wy das hernoch geschriben stet* etc.

In den hawpte ist bescheiden Man vnd weip czu sten, dy do elich und redlich zint czu hawse kommen.

Libri sexti finis p. 251. in membrana col. rubro: *Nu solle wir lernen, wy der richter nymont mag angesprechen mit vormonde noch gesecze machen one wilkwr dez Lantvolkes.* Sequitur: *Der richter en mog nymant angesprechen, mit vormonde sunder den cleger czu kamphhart* etc. — Tandem: *Hy hot das buch eyn ende — Got vns seyn genode sende — Wir irkennen dy gerechtigkeyt — Mit Fleis an disem buche* etc.

Atque col. med. I. p. 255: *Hy hebt sich an das sibende Buch das bedewt extravagantes, dy recht seyn nicht in allem rechtbuchern beschriben, sunder sie seyn alus gelesin und merklich bewert.*

Hic septimus liber undecim tantum distinctiones continet.

Jam vel inde patet: codicem nostrum hunc mixtum esse ex Jure Municipali Saxonico Magdeburgensi et ex Jure Canonico

Post 4 folia vacua p. 265: *Incipiunt sententie decrete per Scabinos Supremi Juris Theutonici M. Castri Crac.* von Gebauer, gerade vnd purger.

Ultima sententia p. 293. von anefal vnd theilung. A pag. 265 ad 351 omnia folia sunt vacua.

Ter-

Tertius Codex CC. III. 55. chartaceus fol. 222 chartis, inscriptus est in interiori compacturae asserculo: *Summa juris dni Jacobi Canonici Plocensis data pro libraria collegii artistarum.*

Constat haec summa Juris Canonici fol. 90. Tum a p. 193 ad p. 230 eadem juris municipalis Magdeburgensis Latina compilatio, quam opera Conradi de Opole in Codice membranaceo exaratam habemus, omissis tamen rubricis et omnibus ornamentis, quae illum codicem decorant. A pag. 229 incipiunt propositiones judicii et diffinitiones eorundem: *von rechtin vormunde ob unmundige Schuld vordern und gelden moge und von Morgengabe.* Haec Germanica compilatio desinit pag. 310 et excipitur a duobus opusculis ab hoc jure alienis, scil. a pag. 313 ad 387 extant hic dubia sacerdotum, quorum index sic subscriptus p 313: Et sic finis registri hujus per manus Georgii Rosinbog. In fine autem p. 387 legitur: Finis hujus libri est feria IV. in vigilia corporis Christi hora quasi decima quinta. — A pag. 389 ad 395 est homilia: Missus est Gabriel. Caetera folia sunt vacua.

Habetis igitur, o juvenes carissimi, descriptionem Codicum nostrorum Juris Magdeburgensis, quorum notitia non solum Jurisconsulto sed etiam Historico et cuilibet humanioribus dedito utilis vel necessaria esse potest. Restat, ut pauca Vos admoneamus: quantopere nostri aevi felicitas praeteritae aetatis fortuna sit potior, ipsi videtis. Quid enim pejus est legum incertitudine? At nunc ea est apud nos ex benignissima Augustissimorum Imperatorum et Regum voluntate legumlātio: ut de expresso per leges jure nunquam ambigatur. Quodsi autem hac juris certitudine longe beatiores sumus decessoribus nostris, attamen fatendum esse non negamus; Jurisprudentiam non esse nunc faciliorem, ac olim. Immo vero quo magis efflorescunt litterae et artes, eo magis omnium disciplinarum fines, ut amplientur, necesse est. Quod igitur de Jurisprudentia jure meritoque dicitur, idem de caeteris omnibus disciplinis affirmandum est: eam in omnibus, quae olim, nunc non sufficere scientiam, si quis altiores progressus facere cupiat.

Nihil igitur magis est periculosum, quam si quis putaverit: Codicem juris recentioris quemcunque bis terve perlectum jam facere Jurisperitum, compendia quaelibet memoriae mandata Theologum, libros aliquot raptim pertractatos Medicum, Chemicum, Historicum vel quemvis alium Eruditum. O lepida capita, quae tam facili negotio parandam sibi scientiam censeant, quae ignorent, quam arcto inter se vinculo omnes conjunctae sint disciplinae, quanto studio munita per humaniorum scientiam via ad altiores eruditionis cujuscunque fontes cuique accedendum sit. Arcetur ab literatorum et eruditorum adytis profanum vulgus, quod eruditionis speciem, non rem aucupetur. Qui id tantummodo discere velint, quo sibi quandoque opus sit, qui nihil ultra quaerant, quam ut id sciant, quo ad munus aliquod capessendum suo tempore utantur, ii rudes litterarum nunquam veram et genuinam eruditionem adse-

quen-

quentur. Rudis indigestaque moles, inutile pondus erit illis omnis male parta eruditio. Nos igitur, juvenes diligentissimi, meliorem de eruditione et scientia sententiam amplexi ab indefesso litterarum et disciplinarum quarumcunque studio nolite averti, utpote qui tramiti recto insistentes id pro certo habeatis: certissimam ad veram eruditionem viam esse assiduam in omnibus propaedeuticis et illis, quam sibi quisque elegerit disciplinis, diligentiam, qua nova indies studiis vestris accumuletis incrementa.

ORDO THEOLOGORUM.

Florianus Kudrewicz, Ord. S. Basilii M. S. Theol. D. sacrae Scripturae Prof. P. O. h. t. Fac. Theol. Decanus.

Hor. mat. 9—10. quotidie excepto die Saturni Hermeneuticam generalem et specialem; tum Exegesin librorum Novi Foederis tradet.

Nicolaus Gilles, S. Theol. D. P. P. O. Canonicus ecclesiae Cathedr. Cracov.

Hor. mat. 10—11. iisdem diebus Theologiam dogmaticam cum prolegominis profitebitur.

Matthaeus Kozłowski, Ord. Praed. S. Theol. D. P. P. O.

Hor. mat. 11—12. iisdem diebus exponet Historiam ecclesiasticam methodo Gmeineri

Josephus Vincentins Łańcucki, S. Theol. D. Archipresbyter infulatus, Scholasticus Cath. Eccl. Crac. Senator Reip. Crac. Prof. P. O.

Hor. mat. 8—9. diebus Martis et Jovis tradet altero semestri Theologiam pastoralem, altero Eloquentiam sacram ex propriis scriptis.

Nicolaus Janowski, S. Theol. D. Prof. P. O. Can. Cath. Eccl. Crac.

Horis mat. 8—9. diebus trinis per hebdomadem, scilicet die Lunae, Mercurii et Veneris tradet Theologiam moralem ad mentem legis naturae et evangelicae.

ORDO JURIS-CONSULTORUM.

Augustinus Boduszyński, J. U. D. P. P. O. h. t. Fac. Jurid. Decanus, Senator Reip. Crac.

Horis pom. 5—6½ diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis; 5—7, die Veneris Jus Romanum et Feodale docebit.

Valentinus Litwiński, J. U. D. P. P. O.

Horis pom. 5—6½ quotidie exceptis diebus festivis Codicem judiciarium civilem per semestre hiemale explicabit, jus criminale autem per semestre aestivum.

Ada-

Adamus Krzyżanowski, *J. U. D. P. P. O.*

Hor. pom. 3½—5 quotidie praeter diem Saturni exponet Jus Civile, Provinciale, Gentium Vicinarum et cambiale.

Felix Słotwiński, *Phil. et J. U. D. P. P. O.*

Hor. pom. 3—4 quotidie excepto die Saturni Jus naturae universum, privatum, civitatis et gentium.

Hor. mat. 8—9 diebus Lunae, Mercurii et Saturni Jus ecclesiasticum tradet.

Nicolaus Hoszowski, *J. U. D. P. P. O. Senator Reip. Crac.*

Hor. mat. ½9—10 diebus Martis, Jovis et Veneris; 9—10 diebus Lunae, Mercurii et Saturni disciplinas politicas tractabit.

ORDO MEDICORUM.

Sebastiauus Girtler, *Phil. et Med. D. Politiei medicae, historiae medicinae et institutionum medico-chirurgicarum P. O. h. t. Facultatis medicae Decanus.*

Hor. ½12—12½ diebus Lunae, Mercurii et Veneris Politiem medicam Polonicè, hac vero finita ad praelegendum de Historia Medicinae idiomate Latino accedet. Hisce diebus iisdem, ut supra, horis pom. 5 ad 6½ institutiones medico-chirurgicas lingua vernacula tradet.

Adalbertus Georgius Boduszyński, *Med. D. Pathologiae et Therapiae tam gen. quam spec. P. P. O. Reip. Crac. Protomedicus.*

Hor. mat. 10—11½ diebus Lunae et Mercurii in lingua Latina Pathologiam explicabit, diebus autem Martis et Jovis iisdem horis, die Veneris vero 10—12 Doctrinam de Therapia generali et speciali tradet.

Ignatius Woźniakowski, *Med. D. Chir. et Artis obstetr. etc. P. P. O. Senator Reipubl. Cracoviensis.*

Diebus Lunae, Mercurii et Jovis ab hora 4. ad 5. post meridiem idiomate Polonico Chirurgiam theoreticam, diebus Martis et Veneris eadem hora Artem obstetriciam theoreticam praeleget, ac denique diebus Lunae, Mercurii et Jovis ab hora 9 ad 10. Materiam Medicam tradet.

Josephus Sawiczewski, *Med. D. Pharmaciae P. P. O.*

Diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis ab hora 9 matutina ad 10 Pharmaciam docebit, qua finita Toxicologiam explicabit

Josephus Kozłowski, *Med. D. Anatomiae et Physiologiae P. P. O.*

Anatomiam et Physiologiam tradet idiomate Polonico diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, ab hora 11 ad 12 ante meridiem, idque primo Anatomiam, hac

ver.

vero finita Physiologiam, jam vero Medicinam legalem ab hora 3. ad 4. diebus Veneris post meridiem.

Iguatius Lienhard, Med. D. P. P. O.

Diebus Martis, Jovis et Saturni ab hora 5. ad 6. post meridiem Artem Veterinariam tradet. Idem singulis diebus ab hora 8. ad 9. mat. ad praxim medicam ad lectos aegrotorum in Instituto Clinico adducet Candidatos Med. et Chir. superioris tum Alumnos Chir. inferioris his Polonice, illis Latine rationem medendi explicaturus.

Nicolaus Corde, Chirurgiae D. P. P. O.

Hora 3—4. post meridiem diebus Martis, Jovis et Saturni Operationes chirurgicas, idem horis matutinis ab 8. ad 9. hyemali tempore, jam autem aestivo ab hora 7. ad 8. diebus Clinicen chirurgicam et obstetriciam tradet.

ORDO PHILOSOPHORUM.

I) FACULTATIS MATHEMATICAE ET PHYSICAE.

Aloisius Estreicher, Phil. et Med. D. P. P. O. Decanus h. t. Fac. Phil. Math. et Phys.

Hor. mat. 10—11 quotidie exponet Zoologiam per semestre hiemale.

Hor. mat. 7—8 Botanicen tradet per semestre aestivum.

Hor. pom. 2—3 diebus Martis et Jovis tradet doctrinam de generis humani varietate nativa per semestre hyemale.

Hor. pom. 6—8 exercitationes botanicas instituet, et ad botanices practicae usum manu ducet, atque dendrologiae et melologiae rudimenta exponet per semestre aestivum.

Carolus Hube, Phil. D. P. P. O. Matheseos sublimioris.

Hor. mat. 8—9 quotidie tradet theoriam aequationum, trigonometriam sphaericam et geometriam analyticam.

Semestri aestivo calculum differentialem exponet hor. mat. 9—10 diebus Veneris et Saturni Mechanicam coelestem cel. La Place explicabit.

Josephus Łęski, Phil. Dr. Astronomiae Professor P. O.

Hor. mat. 9—10 quotidie tradet: I.) Astronomiam duce J. G. T. Bohnenberger (Astronomie Tüb. 1811)

II.) Artem delineandi mappas geographicas ad projectionem stereographicam.

Josephus Markowski, Phil. et Med. D. Professor Chemiae P. O.

Hor. mat. 11—12 quotidie exceptis diebus festis Chemiam docebit.

Hor. 8—11 diebus dominicis Mineralogiam tradet.

Romanus Markiewicz, Phil. D. Professor P. O.

Hor. mat. 9—10 quotidie Physicam mechanicam et Geographiam physicam duce Remigio Doettlero tradet.

Franciscus Sapalski, Phil. D. Professor Geometriae descriptivae P. O.

Hor. pom. 12—1 quotidie profitebitur Geometriam descriptivam per semestre hyemale. Mechanicam et Hydraulicam per semestre aestivum.

II.) FACULTATIS LITERARIAE.

Julianus Czermiński, Phil. D. Professor Historiarum, P. O. h. t. Decanus.

Hor. mat. 11—12 et per semestre aestivum a 5 ad 6 pom. enarrabit historiam antiquiorem et recentiorem. II.) Geographiam physicam et politicam. III.) docebit artem criticam, quae ad legendos historicos est necessaria. IV.) literarum et scientiarum progressum demonstrabit.

Georgius Samuel Baudtkie, Phil. D. Prof. P. O. Bibliographiae et Bibliothecarius.

Hor. pom. ½2—3 die Mercurii, Veneris et Saturni Bibliographiam profitebitur.

Collegium styli cultioris duce Beckio (Artis Latine scribendi praecepta Lipsiae 1802) et disputatoria philologica et historica cum selectis juvenibus instituet diebus Lunae et Mercurii hor. mat. 8—9, Saturni 9—10.

Idem semestri aestivo horis definiendis comparationem dialectorum Slavicarum e suppellectile sua qualicunque literaria Slavica juvenibus vernacularum linguarum philomathibus ostendere conabitur.

Paulus Czaykowski, Phil. D. Literaturae Polonicae P. P. O.

Hor. mat. 10—11 traditis praeceptis eloquentiae et poëseos, per classicorum Auctorum exempla illustratis, Auditores ad exercitia Linguae Patriae in utroque orationis genere ducet.

Petrus Boucher, Canonicus Cath. Cracoviensis et Kielcensis, Phil. D. P. P. O.

Hor. pom. 2—5 die Lunae et Veneris tradet praecepta Linguae Gallicae et versionis, ex linguis Polonica et Latina in linguam Gallicam, nec non docebit theoriam literarum elegantiorum ad normam Auctorum classicorum Nominis Gallici et Latini.

Extra ordinem profectiores in styli cultioris Gallici adyta, more suo consueto et probato diebus Saturni horis 9—11 introducet.

Hermannus Schugt, Phil. D. P. P. O.

Hor pom. 2—3 diebus Lunae, Martis et Mercurii explicabit Xenophontis memorabilia.

iisdem horis diebus Jovis, Veneris et Saturni Livii Decadem primam.

iisdem diebus horis 4—5 styli cultioris Linguae Graecae praecepta tradet profectioribus.

Guilelmus Münich, Prof. Linguarum Orientalium P. O.

Hor. 12—1 diebus Martis, Jovis et Saturni explicabit Prometheum vinctum Aeschyli, die-

diebus Lunae, Mercurii et Veneris Tacitum stataria lectione, qua instituet Auditores ad Latine scribendum et loquendum.

Hor. 5—6. pom. Xenophontis Cyropaediam exponet.

Orientalium linguarum praecepta, iis, qui volent, quacunque placuerit hora ter vel sexies per hebdomadem offert.

Josephus Jankowski, *J. U. D. P. P. O.*

Hor. pom. 3—4 quotidie docebit Logicam, Metaphysicam, Ethicam et Paedagogicam.

Diebus Lunae et Saturni mane hor. 7—8 Historiam Philosophiae.

Lectorium in Bibliotheca publica Univ. Cracov. patebit hor. pom. 2—4 hyemali; hor. 3—5 aestivo semestri, diebus Lunae, Martis et Jovis. Hospitibus vero extraneis, qui Bibliothecam, Musea, Speculam Astronomicam et Hortos Botanicos invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummodo tempus praelectionibus sacrum Bibliothecario et Praefectis Museorum Mineralogici, Zoologici et Hortor. Botan. condonare velint. Quovis tempore de commoda hora certiores facti curiosis hospitibus nunquam deerunt.

Docebit *Josephus Peszke*, *Prof P. O.* artem pictoriam cum theoria artium duce Winkelmanno Polonico Illustr. Comitis Stanislai Potocki. Winkelmann Polski Tom I. II. III. 8vo hor. mat. 9—11. *Josephus Brodowski Prof. P. O.* artem pictoriam ad exempla antiquarum statuarum horis pom. 1—2 semestri brumali; hor mat. 7—8 semestri aestivo. Idem *Josephi Redlinger* vice fungetur in tradenda arte sculptoria hor. 3—4 pom. Linguam Anglicam tradet *Hermannus Schugt* hor. 3—4, Germanicam *Ludovicus Teichman* horis pom. 4—5, Italicam *Stephanus Laberi* diebus Martis Veneris et Saturni hor. 11—12, caeteris diebus pomeridie 4—5. Artem arma tractandi *Alexander Tavernier* horis pom. 4—5 quater per hebdomadem, artem saltand *Franciscus Couder* horis pom. 3—4. Artem equitandi *Joannes Mützel* hor. pom. 2—3.